SPECIMEN INAVGVRALE
MEDICVM
DE

VENAE AZYGAE DIGNITATE, INPRIMIS PATHOLOGICA.

QVOD,
ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICAE
CONSENSV,

PRAESIDE

ADOLPH. FRIDER. NOLDE,

MEDIC. ET CHIRVRG. DOCTORE,
THERAPIAE PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
INSTITVTI CLINICI DIRECTORE,
POLIATRO HALENSI, ETC. ETC.

DIE 28. NOV. cIↃIↃcccXII.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIAN. HENRICVS HAACK,

SOLDINENSIS.

HALAE,
APVD J. C. HENDELIUM.
CIↃIↃCCCXII.

VIRO PERILLVSTRI, EXPERIMENTISSIMO,

IOANNI GÖRCKE,

CHIRVRGORVM EXERCITVS BORVSSICI SVMMO PRAEFECTO, ACADEMIAE MILITARIS CHIRVRGICAE DIRECTORI, EQVITI ORDINIS AQVILAE RVBRAE ET RVTHENICI S. ANNAE, MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI, ACADEMIAE AVSTRIACAE IOSEPHINAE ET DANICAE CHIRVRGICAE SODALI ETC.

FAVTORI AD CINERES VSQVE VENERANDO:

NEC NON

J U L I O,

PHARMACOPOLAE COLBERGENSI,

ET

S C H R Ö D E R O,

CONSVLI REGIS DANIAE ET MERCATORI COLBERGENSI,

COGNATIS DIGNISSIMIS,

PROPTER

BENEFICIA PLVRIMA IN SE COLLATA
HOC GRATITVDINIS MONVMENTVM

PONIT

C. H. H A A C K.

DE

VENAE AZYGAE DIGNITATE, INPRIMIS PATHOLOGICA.

I.

Historia huius venae.

De ſedibus morborum quaestiones et gravissimas esse et utilissimas, neque tironem fugit, qui artem a limine modo ſalutaverit, neque artis etiam rudem hominem. Curiose autem investigandae esse mihi videntur eae morborum ſedes, quae vel minus cognitae vel rarius indagatae vel dubiae etiam ſunt: in quibus qui ſemet exercuerit, auctae doctrinae laudem adipiscitur. Quam quidem aucupaturi nos ita versabimur in hac quaestione eruenda, ut primo historiam venae huius variasque perstringamus de positu et nexu eius altercationes, dein vero morborum ſedem eamdem exponamus.

Quo primum tempore vena ἀζυγὴς innotuerit, a quonam auctore primo descripta fuerit, dictu difficillimum est, cum anatomiae rudimenta nobis iniuria temporum eripuerit.

Anti-

Antiqui libri, qui Hippocratis nomine circumferuntur, vestigia duo huius venae continent, pariter ibi nomine destitutae ac Aristotelis temporibus. Liber ſecundus de morbis popularibus, quem Galenus [1]) a Thessalo, Hippocratis magni filio, compilatum existimat, aliusque de ossium natura, cuius nec Erotianus meminit nec Galenus, Alexandrinae ſcholae forte adiudicandus, congruo fere modo hanc venam tractant [2]). A crassa vena e cordis regione vena una recurrere dicitur ad ſiniſtrum latus inclusa, quae costarum partibus distribuat ſanguinem. Qua quidem manca descriptione hemiazygam magis notari quam ἀζυγέος truncum, illamque potius e brutorum animalium ſectione innotuisse, liquet.

Aristoteles obiter et haud ſatis clare memorat venam, quae ſpinam dorsi legat, a qua ad quamvis costam venulae tendant, magnae venae propaginem [3]). Eodem modo et Erasistratus anonymam tunc temporis hanc venam e cava ortam, pleurae providere hactenus perhibuit, ut ex inflammata hac membrana pus per cavam in cor, inde vero per venam pulmonalem in hoc viscus deferatur, hoc modo eiiciendum [4]).

Quam

1) Comment. 1. in libr. VI. epidem. p. 442. — De difficult. respirat. lib. III. p. 179. ed. Basil. graec. 1538.

2) Hipp. epidem. lib. II. ſect. 4. p. 1034. 1035. — De oss. nat. p. 274. ed. Foës. Eum locum repetit Galenus de dogm. Hipp. et Plat. lib. VI. p. 568.

3) Hiſt. anim. lib. III. c. 3. p. 95. ed. Schneider.

4) Galen. de loc. adfect. lib. V. p. 299.

Quam quidem Alexandrini magiſtri explicationem acriter reprehendens Galenus pluribus licet locis venae huius et fuse omnino meminerit, cum ſimiarum potius cadavera quam hominum dissecuerit, errorum plurium accusatus est ab instauratoribus anatomiae. Vexatissima loca infra citavimus [5]). Ex his ſtudiose collatis patet; de ἀζύγει vena doctrinam Galeni in eo versari, quod, antequam in cor vena cava abeat, ἀζύγεα hanc emittat, quae in quibusdam animalibus ſupra cor, in aliis, ut et in homine, ibi oriatur, ubi auriculam cordis vena cava attingat: huius venae vero ramos dispertiri in pleuram inferiorem a quinta inde vertebra. Probabile est, Galenum haud infra cor, ſi erectum cadaver ſpectaveris, ſed pone aut infra cor, ſi ſupinum cadaver ante oculos habueris, venam hanc ſine pari a cava deduxisse. Quodſi priori ſignificatione inferiorem cordi poſitum intellexisset, nequaquam disertis verbis dixisset, adscendere eam venam ad quintam usque vertebram, quandoquidem infima auriculae dextrae ora e regione octavae vertebrae poſita est. Hac ratione ſaltem Barthol. Eustachius Galeni ſententias tueri contra Vesalii reprehenſiones conatus est [6]). At vero humanam minus quam brutorum fabricam a Galeno descriptam fuisse, inde efficitur, quod intra pericardium confluere cum vena cava eandem arbi-

5) Galen. comment. 2. in Hipp. de victu acut. p. 55. — Administr. anat. lib. VII. p. 181. — De loc. adf. lib. V. p. 299, — De usu part. lib. VI. p. 432.

6) Eustach. de vena ſine pari, p. 225. ed. Albin.

arbitratur, cum in homine potius extra hoc velamentum id contingat [7]). Purgationem vero pulmonum a pure huiusque migrationem ad renes Galenus ſimpliciter ita exponit, ut per venam pulmonalem absorbtum pus in ventriculum ſinistrum et ex eo per aortam propelli contendat.

Hanc aliasque Galeni hallucinationes acriter, ut ſolebat, taxavit primus Vesalius [8]): qui etiam hemiazygam et duplicem azygam nonnisi rarissime observatam esse testatur. In magnam autem contentionem venit haec quaestio, cum alii, auctoritate Pergameni medici occoecati, mascule defendere atque ab omni reprehensione tueri eius ſententias conarentur, alii vero, naturae potius credentes quam Galeno, ad Vesalii partes abirent. Illorum agmen duxit Iacobus Sylvius, qui oriri azygon intra pericardium et infra cor in iis hominibus perhibuit, quibus ſternum ossibus ſeptem conflatum thoracem faciat longiorem; ſiquidem nostrae aetatis hominibus, e corrupta ſterni longitudine et ob thoracis brevitatem, ſtatione propria relicta, ſupra cor et pericardium, loco tamen et intervallo maxime inconstanti, eam venam nasci [9]). Quae quidem adsertio inconsiderata et commentitia aliam reprobationem

7) Lancis. epist. de vena ſine pari in Morgagn. advers. anat. lib. V. p. 80.

8) De corp. hum. fabr. lib. III. c. 7. p. 323. ed. Albin.

9) Sylv. vesani cuiusd. calumn. depuls. p. 98. Isagog. anat. lib. II. p. 29. ed. Genev. 1561.

nem haud meretur praeter eam, quae e commensuratione ſtatuarum antiquarum ſumi poteſt.

Multo propius ad veritatem acceſſit, etiamsi Galenum, quantum fieri poterat, defenſurus Barth. Euſtachius, qui, ut ſupra monuimus, inferiorem cordi ortum ἀζυγέος venae pro poſteriori habuit, e regione potius partis illius pericardii, quae cum vena cava cohaereat, nec extra aut intra id velamentum propaginem hanc magnae venae ſurgere contendit [10]). Geminam quoque hanc venam in hominibus, licet perraro, obſervari, quod bis ipſe vidit, Iacobus etiam Sylvius in corpore Antonii Maſſae, chirurgi pariſienſis, qui duas habuerit, quarum altera ab auricula dextra, altera inferior a vena cava cordi adaperta ortum petebat [11]). Bene obſervat, ramum ἀζύγου e regione ſextae vertebrae ad ſiniſtram partem quandoque permitti, qui ſurſum elatus ad tertium usque coſtarum intervallum adſcendat [12]). Maximam vero commendationem meretur, quam primus inſtituit, obſervatio de communione et anaſtomoſi ramulorum azygae cum emulgentibus aut cum proximis venae cavae ramis, qui e regione ſecundae lumborum vertebrae oriuntur. Cuius communionis dignitatem acutiſſimus vir perſpiciens, bene monet, Galenum, ſi eam cognoverit, viam etiam

10) Euſtach. de vena ſine pari., p. 244.

11) Ib. p. 274.

12) Ib. p. 279.

etiam exponere melius potuisse, qua pulmo et thorax expurgari per inferiora possint [13]).

Suppari fere aetate valvula huius venae, qua cavam ingreditur, inventa est. Primus eiusdem meminit Amatus Lusitanus [14]), testem adducens Io. Bapt. Cannanum, quocum 1547 in duodecim cadaveribus hanc valvam invenerit. Sed vulgari errore irretitus, munus huic valvulae delegavit naturae contrarium: impedire enim ſanguinem ſemel e trunco venae cavae irruentem, quominus hanc iterum ingrediatur, neque enim aërem fistula inflatum in venam ſine pari truncum venae cavae recipere, unde et Vesalii ſententia de vena in pleuritide ſecanda, quam postea perstringemus, ab ipso exploditur.

Cur Fallopius, ſummus ſui temporis dissector, candidissimus etiam vir et optimus, hanc ſententiam irridendam crediderit, plane ignoro: manifesto perhibet, ſe nec in hominibus nec in brutis unquam haec opercula aut membranulas in ore azygae venae invenire potuisse [15]). Ceterum descriptio venae ipsius hactenus vera atque exacta apud eum occurrit, ut totius eius ſaeculi optima iudicanda ſit [16]). Iuxta quartam vertebram e cava vena exire, ad dextrum latus deferri, utrinque ramis in descensu missis ad ſingula costarum intervalla; ſepto

13) Eustach. de renum administr. p. 109. 110.

14) Curat. medic. cent. I. 52. p. 84.

15) Observ. anat. p. 395. 396. ed. Frcf. 1600.

16) Instit. anat. p. 448.

ſepto dein transverso perforato in duos ramulos ſindi, quorum alter dexter cum vena cava coniungatur, paullo ſupra emulgentis ortum, quandoque vero, ſed raro, ramulum eum per vertebras oblique ductum cavitatem earum penetrare, ibique cum alio ramo cavae ſupra emulgentem coire, ramo illo obliquo et ipso in cavitatem vertebrarum reflexo. Sinistrum ramulum descendentem et ipsum venam emulgentem ſinistram petere, cui inseratur in media ipsa vena. Quandoque etiam, more ſuperioris, in dorsi cavitatem reflexam coniungi cum ramulo emulgentis ipsius, ita ut ſemper observatum fuerit, venae istius extremos ramos vel recte vel oblique cum cava vena coniungi, nempe dextrum cavae venae, ſinistrum emulgenti ſinistrae. Hoc a nemine antea observatum fuisse adseverat, quandoquidem Eustachii inventa ipsum latebant.

Fallopii auditor, Franc. Michinus de Sancto Archangelo testatur, ſe hanc coniunctionem azygae venae cum emulgente 1554 in binis cadaveribus, quae ſecuerit Fallopius, observasse, ac vidisse, inflata vena ſine pari ſistula circa ipsius ortum, ſtatim per ramum illum emulgentem ſinistram intumuisse, figura a Moibano condiscipulo delineata hanc anastomosin illustrat [17].

Tho-

17) Marcell. Donat. de medica historia mirab. c. 9. f. 94. b. ed. Venet. 1588. 4. — Michini ſcriptio ipsa nec Hallero nec civi eius Testae innotuit: quamvis ille (bibl. chirurg. Tom. I. p. 208.) titulum libri: ſostrum anatomiae pro perversis locationibus. Venet. 1554. 4. ſcribat.

Thoracicas venas cum ramis azygae confluere, velut novam et pulcherrimam observationem primus adnotavit Andr. Laurentius [18].

Memorabilis est Io. Riolani, filii, sententia de communione propaginis inferioris ex ἀζύγῳ vena promissae cum vena cava infra renes, unde nullo modo pus posse in renes transgredi arbitratur [19]. Idem multoties testatur, se in ore ἀζύγου venae duas aut quatuor valvulas observasse, quae affatim obsistant sanguini irruenti. Ramulorum huius venae anastomoses cum thoracicae venae ramis sub musculo serrato minori, prope axillas, idem statuit [20].

Optime meritus est de hac vena Io. Mar. Lancisius, in peculiari ad Morgagnium epistola varietates eius et in brutorum et in hominum corporibus obvias recensens. Duplicem in variis animantibus, quadruplicem etiam in pullinaceo genere, in humano corpore simplicem semper invenit [21]. Cum Galeno, et qui eum sequebantur, visum fuerit, venulas a tribus vel quatuor costis superioribus in azygam non derivari, primum tamen ramum, qui inter tertiam et quartam aut inter hanc et quintam costam progrediens, in azygam aperitur,

18) Hist. anat. lib. IX. c. 7. p. 741. ed. Frcf. 1607. 8.

19) Riolan. enchirid. anat. lib. III. c. 9. p. 230.

20) Ib. p. 231.

21) Morgagni advers. anat. lib. V. p. 79 — 98.

tur, tres ſurculos admittere ſtatuit, qui ſanguinem e musculis primarum costarum ad eamdem venam ſine pari revehant. Superiores ramuli cum, ſauciata vena cava, facillime collabantur, fieri inde, ut octo duntaxat ramuli numerentur, cum revera deni ſint. Frequenter naturam in hac vena collocanda et dividenda ludere bene animadvertit: namque interdum et in ſinistro latere alteram deprehendi, quae cum ſubclavia vena copuletur: atque ſanguine a quinque aut ſex ſuperioribus costis reducto, ultimum ſurculum ſub aorta descendente in dextram azygam transverso itinere protendere. Hanc hemiazygam bene nominat, cum, ubi observatur, propagines inferiorum costarum ſanguinem in dextram azygam effundant. Quod inferiores eius venae anastomoſes attinet, refert, ſe ſemel vidisse confluere cum uterinis venis. Cum emulgentibus venis autem ita cohaerere, ut liber maneat aditus ex emulgente in ἀζύγεα et ex hac in illam. Idem etiam nervulos nonnullos tum ramos tum ipsum truncum, qua in cavam exit, amplexantes, denique tubulos minimos ab inferiore ingredientis azygae et excipientis cavae parte inter tracheae annulos ac membranas ſensim irrepentes atque ad internam tracheae tunicam pervadentes vidit: quibus meatibus posse pus et ſanguinem proxime per tracheam arteriam eiici opinatur.

In ipsam auriculam dextram azygon venam effundi, ſemel observavit Cheseldenius [22]).

Du-

22) Philos. transact. vol. 28. n. 337. ann. 1713. p. 282.

Duplicem truncum, dextrum et ſinistrum, huius venae descripsit Wildius [23]): ſinister a prima vertebra lumbali oribundus, e diaphragmate, peritonaeo et musculis lumbalibus venulas recipiens, intercostales etiam ramulos emisit, cum altero dextro duobus locis ſociatus. Duplicem etiam eam venam eleganter exposuit Wrisbergius [24]): ſinistra azygos e duabus portionibus inter ſe confluentibus constabat, minore eademque inferiore, et maiore ſuperiore, quae cum inferiore coniuncta inter costam undecimam et duodecimam intercostales ei mittebat. Eamdem observationem repetierunt Sandifortius [25]) et Mascagnius [26]).

Hinc patet, paucas esse corporis animalis partes, in quibus variandis tantopere ſibi natura placuerit. Id tamen fere constans est, hemiazygam, ſive intercostalem ſinistram inferiorem, cum emulgente ſinistra confluere, vel cum iliacis truncis [27]) vel cum venis renum ſuccenturiatorum [28]).

23) Comment. petropol. vol. XII. p. 318. 319. tab. VIII. f. 4.

24) Nov. comment. gotting. tom. VIII. ann. 1777. p. 18.

25) Observ. anat. path. lib. IV. c. 8. p. 98.

26) Vasor. lymphat. hist. p. 71. tab. IV.

27) Schmidel de varietat. vasorum, n. 21.

28) Hebenstreit de venis communicantibus, p. 30. Lips. 1740.

II.

II.

De fine naturae et usu.

Cum nihil fere dignitati animi humani convenientius, nihil ad doctrinarum auctoritatem fructuosius ſit quam finium, quos ſibi proposuisse natura videtur, consideratio, a pristinis etiam inde temporibus ſingularis atque paene mirabilis huius venae fabrica atque communio doctos viros ita adfecit, ut ſubtiliter nonnulli, alii peracute divinaverint fines, quos natura adsequi ſtuduerit.

Dubito, an quis prior Riolano iuniori huius venae usum exponere ausus fuerit. Is autem propaginem ἀζύγου venae ad renes tendentem eo praeprimis inservire commentus est, ut redundantem ſupra cor ſanguinem aut maiore copia contentum ad inferiores partes derivet [29]. Eum usum Cowperus mox ita exposuit, ut diceret, ſi omnis ſanguis per aortam protrusus unico venae cavae trunco reducendus ſit, difficillimum esse adcensum: hinc formatam esse azygon, ut ſanguinem e musculis lumbalibus et thoracicis in ſuperiorem venae cavae partem avehat, unde multo maiorem ſanguinis copiam revehi per ſuperiorem venae cavae partem quam propelli per aortam pateat [30].

Lancisius etiam, dum liberum commercium inter ſuperiorem et inferiorem venae cavae

29) Enchirid. anat. lib. III. c. 9. p. 231.

30) Philos. transact. vol. 23. n. 280. ann. 1702. p. 1187.

vae partem considerat, fassus est manifestum ſibi esse evidentemque usum, ut in contentionibus atque corporis conatibus nimia plenitudo impediatur: facillime enim e ſuperioribus ad inferiora, aut ex his ad illa ſanguinem reduci, ne ullibi nimia copia accumuletur [31]). Hinc etiam in quadrupedibus, quae prono ſemper corpore consistunt atque incedunt, vena azygos non quidem cavam vel ſuperiorem petit vel inferiorem, ſed in ipso utriusque confluxu, hoc est, intra dextram auriculam aditum vel unicum vel duplicem ſibi aperit. Quod ſane non alia ratione factum videtur, quam quia, cum uterque ſanguis, ſuperioris puta et inferioris cavae, in pronis animantibus ad horizontem fluat, celeritas neutri detrahenda erat, atque ideo in ipso utriusque concursu, ubi vires aequantur, azygae inosculatio locata fuit. In ſimiis, canibus, felibus ursisque, non semper pronis, ſed ſemierectis ſedentibus, vena ſine pari non penetrat auriculam, ſed ſuperiorem cavam, intra tamen pericardium, atque e regione coniunctionis cavae cum azyga.

In ruminantibus duae fere azygae ſunt, forte, quod hebetiora in motu minorem habent ſanguinis velocitatem. Unde, ſi universus intercostalium ſanguis ad unicam, eamque in dextro latere positam venam ſuisset dirigendus, tam lente illuc appelleret, ut eius lateris re-

31) De vena ſine pari, in Morgagni advers. lib. V. p. 82. 83.

renixum in tam longo itinere vincere haud potuisset.

In dextro latere locata est azygos, quod in ſinistro iam ductus erat thoracicus, cui ipsa azyga, ſi comes addita fuisset, plurimum obesset. In dextro latere autem maior est ſpatii libertas, unde facilius remeare ſanguis potest.

Subtilius vero ad ſpiritus ducendi reddendique officium applicuit huius venae munus Christianus Ström [32]), mechanicae theoriae defensor. In ſummo gradu inſpirationis hanc venam elidi, ſtagnare adeo ſanguinem in musculorum intercostalium vasis, eosque igitur inspirationis praecipuos auctores resolvi: tunc, ſua ex indole, cartilagines costarum dimissas resilire, eamque praecipuam venam liberari et novam ſequi inspirationem. In qua quidem theoria id verum, ſanguinem in vena cava turgere dum inſpiramus, namque et iugulares ſolent in macilentis hominibus tumescere: lentissime tamen possunt a turgentibus venis musculorum vires frangi, neque desunt effugia ſanguinis, tum ex azyga ipsa in emulgentes, tum ex hemiazyga in easdem, aut in lumbales et iliacas. Neque tamen adſentatoribus caruit Strömius, ſiquidem Antonius Fizes eamdem explicationem et ſuam fecit [33]).

Boer-

32) Nov. theor. machinae anim. p. 58. Amst. ed. 1707. 8.

33) Univers. physiol. conspect p. 123. 124 Monspel. 1737. Cf. Haller ad Boerhaavii praelect. tom. IV. P. I. p. 65.

Boerhaavius insuper eum venae huius usum ſtatuit, quod promtiorem viam praebeat, qua in thalamos cordis, poſt ſystolen vacuos, tanquam in ſpatium inane, ſanguis ſemet expedire possit, cum cordi proxima ſit haec vena [34]). Multo magis ad rem accessisse videtur Hallerus, qui canalem derivatorium eam venam nuncupat [35]). Quod enim in aliis anastomosibus, inter iugulares et vertebrales, inter venas brachii et intestinorum quaesivit praesidium natura, ut plenus ſanguinis alveus facilius alio effugiat, ſicubi ſtagnationis periculum imminet, id ad circuitum facilius reddendum hac vena ſine dubio efficere ſtuduit. Si igitur quaevis caussa, ventriculi aut aliorum viscerum turgores iter praepediunt per abdomen, obtinetur e magnis venae ἀζυγέος radicibus abdominalibus, ut magna portio ſanguinis abdominalis cordi possit reddi. Quodsi etiam pectoris inflammatio aut nixus ſolummodo thoracis ſanguinis reditum impediverit, potest aliqua pars eius ſanguinis per hanc venam in abdomen deduci, liberatis hactenus pulmonibus.

34) Praelect. in instit. tom IV. P. I. p. 69.

35) Elem. physiol. tom III. p. 113.

III.

De venae huius efficacia in morbis.

Protinus fere ut vena haec innotescere coepit, dignitatem eius in pleurae inflammationibus medici divinarunt, ut praesertim, cum pleuram a pulmonibus ſeparatam viderent, ſputa inde exponerent. Id iam Eraſistratum tentaſſe ſupra monuimus: quem quidem refutans Galenus ſuo tamen modo explicare ſputa conatus est. Et adverterunt iam veterum animos pleuritides illae, quae ſumma ſpirituum difficultate, ſine ſputis, cruentam mictionem habent pediſſequam, quas Hippocratici auctores ſaepius obſervarunt [36]). Siccas etiam pectoris inflammationes, in quibus nihil prorſus eiicitur, iam Hippocrates ipſe pernicioſas cenſuit [37]). In his ergo accuſanda eſt forte conſtrictio ἀζυγέος venae, quae parum aut nihil ſanguinis e pleura inflammata revehere in abdomen poſſet. Eiusmodi autem opinionem haud futilem eſſe ſed experientiae convenire, patet e Baillii egregia obſervatione, ubi venam cavam inferius penitus clauſam, azygon vero et hemiazygam varicibus magnopere diſtentas invenit [38]).

36) Hippocr. de morbis lib. I. p. 466. lib. III. p. 489.

37) Coac. praenot. p. 177, 181.

38) Baillie's Anatomie des Krankhaften Baues. S. 57.

Id iter per ἀζύγεα ſi liberatur, ſi cursus ſanguinis restituitur, fluit nonnunquam ſanguis copiosius per urinam, unde mictum cruentum ſalutarem in pleuritide esse iam olim Michinus expertus est [39]. Simile aliquid, licet haud in pleuritico, ſed vulnereto observavit Fabricius ab Aquapendente, qui post plagam pectore exceptam gravissimis colluctans doloribus, anhelationibus et tussi, tandem evasit, postquam cyathum ſanguinis puri per mictum eiecisset [40]. In pleuritide mictum cruentum ſalubrem observarunt praeterea Zacutus Lusitanus [41], Fabricius Hildanus [42], et Duſotus [43].

Non tamen deſuturos esse arbitror, qui regerant, cursum eum ſanguinis e trunco venarum in ramos, qualis hic ſtatuitur, valvulis impediri, ideoque ſtatui haudquaquam posse. Quod etiamsi generatim concedamus, fatendum tamen est, valvulas omnino deesse venis intercostalibus, ipsique interdum trunco azygae venae, praeter locum eum, ubi in cavam venam transit, deesse etiam venis emulgentibus, ut et cavae venae a lumbis inde ad diaphragma. Hinc credibilem habemus eam ſententiam, quae ſanguinem relabi posse e truncis

vena-

39) Marcell. Donatus, l. c. f. 95. a.

40) Fabricii chirurg. lib. II. c. 22. p. 311.

41) Prax. hist. lib. VIII. c. 14.

42) Cent. II. obs. 31.

43) Hautesierk recueil d'observations, tom. II. p. 286.

venarum in ramos ſtatuit, nixa praeprimis haemorrhoidum fluxu ipsoque pulsu venarum iugularium [44]).

Longe alio modo iudicandum est de puris ſecessu vel per ſputa vel per ipsum etiam lotium, quem ſimili modo tum e cohaerente asperae arteriae tubo cum azyga Lancisius, tum e communione emulgentium cum hac vena Eustachius, Fallopius aliique exponere ſibi ſumserunt. Purulentam vero urinam criticam in pleuritide observarunt, praeter veteres, Benivenius [45]), Langius [46]), Domin. Panarolus [47]).

Quodsi vero unquam puris collectio posset in venas resumi perque eas educi, omni eorum vasorum functioni contrarium esset, quippe quae praeter ſanguinem nihil omnino gerunt. Alii omnes humores ſecreti aut crudi, vasis lymphaticis ſorbti, in glandulas abeunt lymphaticas, ubi vel tumores producunt, vel digesti et mutati in elementa abeunt, e quibus compositi erant [48]). Hinc exponenda puris micti-

44) Platner ad Fabre's Untersuchungen, p. 578 f. — Sprengels Pathologie, B. I. S. 279. ed. tert.

45) De abditis morb. causs. c. 43.

46) Epist. medic. lib. II. p. 500.

47) Pentecost. V. obs. 8.

48) Sprengels Pathol. B. I. S. 301. f.. Id bene iam sensit Andr. Laurentius (hist. anat. lib. IX. quaest. 12. p. 786.): haudquaquam enim hiare venarum oscula in thoracis caveam, neque motu ullo posse pus ſorbere, recte perhibet: ſed perperam confugit ad Galeni commentum de propulsione puris per aortam.

mictio duplici potissimum modo. Vel enim hypostasis lotii ſpeciem ſolummodo puris prae ſe fert, nec continet nisi lymphaticos et glutinosos humores, qui, quam ſimiles ſaepius vero ſint puri, patet e ſputis eorum, qui phthisin pituitosam patiuntur; patet etiam ex urina hominum ſtasibus abdominalibus laborantium, quae interdum eam puris ſimilitudinem habet, ut incauti medici renum colluviem purulentam aut veram exulcerationem adesse existiment, perversam ſequuturi medelam, ſi huic obviam eunt. Haud tamen ſine difficultate debellatur id malum ope mitium laxantium, resolventium victusque ea ratione, quae ſtagnationes reserare valet. Interdum vero haud inficiamur veri puris copiam lotio eiici, quod eodem modo exponitur ac ſubitaneus ſcroti tumor in angina parotidea. Metastasin hic adesse fatemur, ſeu vicariam ſecretionem, qua prior adfectio ſaepe tollitur, dum in remota ſed adfini parte ſimilis excitatur passio. Puris igitur mictio per communionem azygae venae cum emulgentibus lucem haud accipit.

Memorabilis est observatio immortalis Lancisii, quam hic adducendam esse censemus, etiamsi penitus adstipulari eius ſententiae ambigamus [49]). Animadvertit enim, pleuriticos, dum ſanguinem ſcreatu reiicerent, conqueri dolorem ſub sterno, ubi azygos ſe in cavam aperit, hos autem ante decimum quartum diem liberatos a morbo meminit: unde ſu-

49) Morgagni advers. anat. lib. V. p. 87. 88.

ſuspicari coepit, compendiaria pateat via, quae in ſimplici pleuritide adfectis per azygam ab intercostalibus ſpatiis duceret in fistulam ſpiritalem. Hanc opinionem confirmavit mulierculαrum romanarum mos, quae fricare ſolent dolentem in pleuritide partem oleo prius inunctam, ac versus dorsum pellendo ita urgere (quod Italorum vulgus vocat *rompere la puntura*) ut aegrotus paullo post tussi corripiatur ac fere ſemper ſanguinem exspuat. Sentiunt aegri ab ea parte, quae fricta fuit, acrem ſtimulum ad tussiendum ipsiusque ſanguinis egressum. Potest omnino, ſi ſupra adlata Lancisii ſententia de tubulis inter ἀζυγέα et fistulam ſpiritalem communicantibus conceditur, id phaenomenon inde lucem accipere, ſed, cum a nullo postea confirmata ſit Lancisii inventio, dubia etiamnum habenda est. Ipse tamen addit, nonnumquam id remedium, frictionem nimirum minus feliciter cedere, quia maiorem producat anxietatem, ſiquidem frictione nimis irritato loco ἀζυγέος ubi cum cava confluit, regredi possit acris et ſtimulans materia per cavam ad cor, indeque ad pulmones traduci. Ut igitur prospere cedat, necessarium putat Lancisius, musculi triangularis maior venter ſub ſterno locetur, tenſus igitur thymum, ſubiectam venam cavam ipsumque locum, ubi cum azyga confluit, premat, huius itaque musculi robore aucto exscreatio promoveatur. Seipsum meminit, ſi catarrhis laboraret, ſenſu percipere maiorem cocti laticis partem haud ab ipsa pulmonum ſubstantia, nec e bronchiis, ſed

ſed ab eo loco, ubi oscula azygae in tracheam arteriam adsumit, existere.

Quodsi etiam in ſanis hominibus et in cadaveribus eorum, qui nullo ſimili morbo decesserunt, nullus reperiatur hiatus azygae venae in fistulam ſpiritalem, Lancisius tamen putat, haec pariter contingere in vasis ani, nasi et uteri, quae, licet in morbis ſanguinis ingentem copiam ſtillent, clausa tamen ſint, dum recta valetudine fruitur homo. Quod cum facillime largiamur, ſequitur inde, nec in normali ſtatu hiscere azygon in fistulam ſpiritalem: quod fieri etiam nequit propter clausum undique ſystema vasculosum [50]) Sed Lancisius, ut ſententiam ſuam ſtabiliat, experimenta in cadaveribus instituta in medium profert, quae transitum eum ex azyga in fistulam ſpiritalem clare docere ipsi videntur [51]). Superiore enim cava, ſanguine prius inanita, ſupra et infra inosculationem cum azyga vinculis constricta, per foramen apertum in azygae caudice tepidam et croco infectam aquam ſiphone ſemel iterumque iniecit, ac ſtatim conspexit ſubcroceum liquorem primo per nares, mox etiam per os emanantem, dum cadaver ſupinum cubaret, capite de tabula propendente. Ut vero accuratius permeantis liquidi vias rationemque exploraret, cultro ſub cartilagine thyreoidea per longum ſcidit asperam arteriam, atque illinc, dilatato vulnere, vidit post novam iniectio-

50) Autenrieth's Phyſiologie, Th. II. S. 154. 296.

51) L. c. p. 90.

tionem, iucundo ſpectaculo, a ſuperiore interna fistulae ipsius ſuperficie, quae cavae trunco et azygae anastomosi ſubiicitur, flavum ichorem, excitatis bullis per minima oscula ſtillantem atque ſcatentem.

Sed cum iure ambigi posset, iniectus liquor e tubulis potius a cavae quam ab ipsius azygae membranis vel etiam ab utrisque in asperam arteriam dehiscentibus prodiret, iccirco novo usus fuit artificio. Azyga ligata, ubi cavam intrat, alterum vinculum iniecit cavae versus cor, ſeu infra anastomosin, indeque per ſubclaviam in cavam ſimilem aquam infudit, illumque prodire quidem e trachea, ſed tardius et parcius quam in ante adductis observationibus, conspexit. Unde colligi tuto posse pronunciat, meatus hosce longe numerosiores aut patentiores ex azyga eique proximo cavae ſpatio, quam e reliqua cava in fistulam ſpiritalem dehiscere atque aperiri.

Non possum quin ad hanc quaestionen illustrandam memorem ſtrumas, e nixu nimio, partibus laboriosis, risu aut violenta torsione capitis ortas, quae, cum glandulam thyreoideam manifesto ſedem agnoſcant, vel ruptas ſupponunt arteriae thyreoidae frondes, vel violentum aëris ex larynge ingressum. Aëreos enim esse eiusmodi tumores Lalouettius bene animadvertit [52]): Richterus [53]), Foderaeus

52) Traité sur les écrouelles, p. 163.

53) Anfangsgr. der Wundarzencyk. B. IV. S. 289.

us [54]) aliique [55]) ſanguineos cum aneurysmatibus arteriae thyreoideae. Iam vero, cum nullus pateat aditus vel glandulae thyreoideae ad laryngem vel ex hoc in illam, ut nunquam pressa haec glandula vel minimum liquoris emittat, necesse est aër perrumpat ostiola illa tenuissima, quae ſummus Morgagnius in anteriore glottidis parte, proxime ab orificio ventriculi laryngis, ſub angulo ligamentorum inferiorum invenisse ſibi visus est. [56]) Sed ea ostiola, quamvis et Santorinus [57]) et Vaterus [58]) et Bordeus [59]) etiam reperire ſe meminerint, deserta tamen postea ab ipsis inventoribus sunt, ideoque ambigna ſemper manent.

His, quae ad dignitatem azygae in pleuritide explicanda pertinent, decursis, ad alias accedimus eiusdem venae abnormitates, quae non parvi momenti in variis morbis esse videntur.

Posse interdum in phthisi, integris pulmonibus, abscessum in hac ſedere vena, expertus est Hollerius, qui, cum tabe purulenta homo decessisset, pulmones ſanos, in vena tamen azyga et pulmonali abscessum invenit [60]). Morgagnius in phthisicae cadavere nu-

54) Sur le goitre et le cretinage, p. 79.

55) Wichmanns Ideen zur Diagnostik, B. I. S. 120.

56) De sedibus et caus. morb. ep. IX. art. 35. 36.

57) Observ. anat. p. 45.

58) De ductu ſaliv. p. 16.

59) Recherches ſur la position des glandes, p. 159. 160.

60) De morb. intern. lib. II. c. 25. p. 260.

ruptam venam ſine pari observavit, e qua ſanguinis copia ad libras quatuor in dextram thoracis caveam effusus mortem consciverat [61]). In femina, quae herniam cruralem passa erat, magnopere distentam venam azygam invenit [62]).

Haud ſine probabilitate Antonius Iosephus Testa in libro et doctissimo et observationibus utilissimis locupleti [63]), in haemorrhoidariis cardiacos morbos, palpitationem, anxietatem et ſyncopen ex hoc ſonte ita derivat, ut ſtagnationem ſuppressi ſanguinis in azygam maxime venam propagari, eoque ſanguinis liberum cursum praepediri existimet. Hinc etiam efficit, ubi rite apertae ſint anastomoses huius venae cum cava, emulgentibus aut aliis vasis abdominalibus, haud facile adfectus cordis violentos existere, qui a congesto ſanguine et ſtagnante originem ducant. Quodſi etiam celeriter ſaepius vehementissimae pulmonum et pleurae inflammationes in ſalutem transeant, id ſieri ope resorbti et avecti magna copia ſanguinis per venam azygam, idem auctor perhibet. Si tanto vero alveo haud capax est vena, nimis distenditur, qualem reperiit non raro in iis, qui repente violentia pleuritici morbi enecati fuerant [64]).

Ad-

61) De ſedibus et causs. morb. ep. XXVI. art. 29.

62) Ib. ep. XXXIV. art. 15.

63) Delle malattie del cuore, Vol. I. p. 74.

64) Ib. p. 100.

Addendum denique esse puto, venae ἀζυγέος ramulos, ope phrenicarum cum vena portae cohaerere, unde nova dignitas eius venae in exponendis ſtasium abdominalium ſequelis, quae pulmones ſaepius adficere ſolent.

Postremo ſingularis est eiusdem Testae observatio, priora praecepta confirmans, in enormitate ſplenis, quae cardieurysma venosum produceret, ſolam azygon exceptam fuisse a nimia dilatatione, quod ubi fluidior iusto erat ſanguis, facilius transmitti poterat. In alio cadavere, post haemorrhagiam enormem defuncti hominis, ubi vena cava magnopere inflata, renes ſuccenturiati et hepar ingenter tumescebant, ſola azygos in minorem molem contracta erat [65]). Quibus quidem effici posse videtur, ſi ſanguis nimis tenuis fuerit, haud requiri auxilium azygae, ut ſanguinis aequilibrium restituatur, nimis enim libere illum per cavam tumidam fluere.

Ubi autem pulmones constricti ſunt et angusti, azygos fere ſempe eodem modo contracta invenitur et parva, teste eodem Testa (l. c. vol. II. p. 31.).

65) Ib. p. 105. 133.

IV.

De venae huius dignitate practica.

Cum post renatas literas partibus corporis humani ſtudiosius indagatis haec vena melius innotesceret, ex positu eius in dextro latere effecit primus Vesalius, pleuram inflammatam optime posse ſanguine depleri, ſi axillaris dextra ſecetur [66]). Eam ſententiam Thadd. Dunus ita exornavit, ut axillarem venam tum ſecandam esse perhiberet, cum dolor infra quartam costam consistat, ſi vero ſuperiores partes adficiat, ad quas azygos ramulos ſuos haud mittat, ſed quae a ſubclavia frondes accipiant, axillarem venam non ſecandam esse [67]).

Explosum tamen id consilium mox fuit, perspecto usu venae ſectionis et in iis partibus, quae proxime vaſorum ope cum locis adfectis non cohaerent. Ita docet Eustachius, in lienis inflammatione ſecandam esse brachii ſinistri venam, etiamsi nulla consortio vasorum adsit [68]). Quae etiam ſi requiratur, duplicem coniunctionem azygae venae cum axillari hinc inde fieri, cuius beneficio revulsionem facilius fieri et commodius iudicat. Itaque cum Hollerio [69]) Guintheroque Andernacensi [70]) plerique

66) Vesal. de corp. hum. fabr. lib. III. c. 7. p. 323. De usu radic. chyn. p. 641.

67) Dun. nov. constit. art. revellendi, lib. I. c. 18. f. 28. a. — lib. II. c. 4. f. 45. b.

68) De vena ſine pari, p. 290.

69) De morb. intern. lib. I. c. 26. p. 262.

70) De medic. veteri et nov. comment. II. dial. 3. p. 80.

rique medici ſequentis ſaeculi Veſalii consilium futile habuerunt.

Thoracicae tamen venae cum azyga anastomoses prope axillas eo praesertim Riolanus adhibuit, ut ſecta basilica vena potius quam altera in pleuritide, latus adfectum facilius exoneretur et dolor levetur [71]).

Misso tamen hoc consilio, quippe quod nimis angustae et mancae de vasorum communione opinioni tribuendum est, id tamen gravissimum est, quod Lancisius [72]), Wintringhamius [73]) et Testa [74]) maxime monent: in pleuritide vera, ubi pulmones minime, ſed ſola pleura patitur, ſanguini ante misso, nihil praestantius esse ad dolorem levandum et anxietatem tollendam, cucurbitulis ad interstitia costarum appositis aut ipsis ſcarificationibus. His enim localibus ſanguinis missionibus proxime e loco adfecto ſanguinis impetus deducitur et ſtimuli vis frangitur.

Trahi huc etiam potest animadversio illa Lancisii, quam ſupra adlegavimus, de frictione eius loci, ubi azygos cum cava coit, ad ſcreatum ſanguinis promovendum, de quo cum iam loquuti fuerimus, ſuperſedere hic ii disquisitioni possumus.

71) Enchirid. anat. lib. III. c. 9. 231.
72) Morgagni advers. anat. lib. V. p 83.
73) De morbis quibusdam comment. lib. II. n. 635.
74) Delle malattie del cuore, vol. I. p. 72.

THE-

THESES.

1.

Rheumatismus et arthritis non unum eundemque constituunt morbum.

2.

Apoplexia pro morbo ſystematis nervosi jure habenda est.

3.

Methodus excitans et roborans quam maxime inter ſe differunt.

4.

Morborum gastricorum frequentia a laesa cutis functione aeque ac idiopathica tubi intestinalis affectione pendet.

5.

In hydrope praeter indicationem causalem methodus praecipue convenit antagonistica.

6.

6.

Paracentesis abdominis in ascite curationem tantummodo palliativam praestat.

7.

Hymenis praesentia non offert tutum certumque virginitatis physicae signum.

8.

Solutio placentae non nisi rarissime artis auxilium requirit.

9.

Petechiae non ſemper characterem corporis adynamicum ſequuntur.

10.

Acida mineralia non conveniunt, ubi indicatio ſanguinem mittendi urget.